

fuis fluctibus prædatoriam illam manum submergeret.

Ituna vero hic five Eiden, ubi hanc regionem adierit, ab Occasu Eimot flu. admittit è lacu illo Vlse, quem dixi, promanantem, cujus prope ripam ad Dacor rivulum Dacre castrum adsidet, nobis notum, quod familiæ Baronum de Dacre nomen fecerit, à Beda memoratum, quod monasterium eo tempore habuerit, uti etiam à Malmesburienfi, quod Constantinus Rex Scotorum, & Eugenius Rex Cumbrorum, se cum suis regnis Athelstano Anglo ibi in tutelam dederint.

Dacre. Barones Dacre.

Perith.

Haja de Plompton olim dicta.

Petriana.

Haud multo superius, parum etiam ab Eimoti & Loderi confluentibus, ubi rotundum vallum, quod Arthuri Tabulam vocant incolæ, abest Perith, id est, si è Britannica lingua interpretaris, Caput, vel collis ruber. Rubet enim terra & saxa è quibus construitur, vulgo autem Perith dicitur. Emporiolum celebre, ad occidentem plagam Castro Regio firmatum quod regnante Henrico Sexto è ruinis Romani munimenti Maburg in vicina fuit restauratum, templo satis pulchro ornatum, forumque est amplum & ligneum in eo ædificium in usum confluentium ad mercatum, urbis ad nodosum stipitem, quæ fuerunt insignia Comitum Warwicensium exornatum. Olim ad Episcopos Dunelmenses spectavit, sed cum Antonius Beccus Episcopus nimia opum affluentia inflatus insolesceret, abstulit ei Edwardus Primus (ut in Dunelmensi libro legimus) Werk in Tividalia, Perith, & ecclesiam de Simondburne. In ejus tamen usum W. Stricland Episcopus Carliolensis è clara hoc in tractu stirpe suo sumptu incile duxit è Peter-rill, id est, è Petero fluvio, qui ad suam ripam Plompton parke habuit, vivarium amplum quod olim Reges Angliæ ferarum, sed Henricus VI I I, hominum habitationi prudenter dicavit, cum in regnorum Scotiæ & Angliæ sit fere collimitio. Ad hoc dirutæ urbis reliquas multas vidimus, quam illi ob viciniam Antiquum Perith nunc vocant, PETRIANAS ego judicari. Alam enim Petrianam hic egisse evincit Inscriptionis antiquæ fragmentum, quam Vlpianus Trajanus Emeritus Alæ Petrianae posuit. Sed ecce illam, & alias quas hic descripsimus.

D M

----- AICETVOS MATER
GADVNO VIXIT * A XXXXV
* Annos. VLP TRAI ET LATTIO FIL-VIX
EM. AL. PET A XII. LIMISIVS
MARTIVS CONIV. ET FILIÆ
* F. P. C. PIENTISSIMIS
POSVIT

* Forte Faciendum procuravit

D M

FL MARTIO SEN
IN * CCARVETIOR
* Forte in Cohorte. QVESTORIO
VIXIT AN XXXXV
MARTIOLA FIFIA ET
HERES PONEN
*-----CVRAVIT

* Dum.

* Fratri & filia titulum posuit.

DM CROTILO GERMANVS VIX
ANIS XXVI. GRECA VIX ANIS III
VINDICIANVS * FRA. ET FIL. TIT. PO.

Cum Eimotum influentem Ituna jam receperit, obscurioribus viculis, & propugnaculis affusus in Septentriones contendit per utramque Salkeld. Ad minorem autem, in modum coronæ eriguntur septuaginta septem saxa, sin gula decem pedes alta, & ante ea in ingressu singulare, xv pedes in altitudinem surgit. Hoc vulgus vicinum Long Megg ut reliquas ejus filias vocitant, duoque sunt intra circulum lapidum cumuli, sub quibus occisorum cadavera tegi perhibent. Et sane par est existimemus hoc victoriæ alicujus fuisse monumentum.

Inde transit Ituna per Kirk-Oswald S. Oswaldo sacrum, possessionem olim Hugonis illius Morvill qui cum sociis Thomam Archiepiscopum Cantuariensem occidit, & in facti memoriam diu ensis quo tunc usus erat hic asservabatur, per Armanthwayte castrum Skeltonorum, Corby castrum nobilis & antiquæ familiæ Salkeldorum quæ plurimum aucta nuptiis cum hærede de Rosgill, Wetherall olim monasteriolum quod Abbatiam S. Mariæ Eboraci matrem agnovit, ubi in rupe habitacula quædam in perfugii locum excavata cernuntur. Inde per VWarvic (VIROSIDVM judico,) ubi Cohors VI Nervorum olim in statione per limitem Valli contra Pictos & Scotos egit, & superiori sæculo pons ibi firmissimus è saxo impensis Salkeldorum & Richmondorum constructus, Linstock castrum Episcopi Carleolensis in Baronia de Crosby, quam Waldevus filius Comitum Gospatricii Dominus Allerdallia Ecclesiæ Carliolensi concessit, truncatoque nomine pro Olenaco dictum suspicor: OLENACVM enim ad lineam valli, ubi Ala prima Herculea militavit contra barbaros, fuisse videatur. Iam Ituna se in suum æstuarium immerfurus simul fluvios accipit, Peterillum scilicet & Caudam, qui pari spatio discreti, ab Austro quasi gradus conferunt. Ad Peterillum præter PETRIANAS quas diximus, Greystocke est illustris jam pridem familiæ castrum, quæ à Ranulpho quodam filio VValteri originem traxit, ex cujus posteris Guilielmus de Greystock duxit Mariam filiam & alteram hæredem Rogeri de Merley Domini de Morpath, illi natus filius Ioannes, qui cum prole careret, licentia ab Edwardo Primo impetrata, hæreditatem transcripsit in Radulphum de Grantborpe filium Guilielmi ex ejus amita natum, cujus progenies diu summo in honore floruit, circa Henrici vero Septimi tempora desit, & ad Barones de Dacre per nuptias venit hæreditas, ultimi vero Baronis de Dacre hæredes generales duobus Thomæ Howard nuper Ducis Norfolciæ filiis fuere enuptæ.

Kirk-Oswald.

Armanthwayte, Corby castle, Wetherall.

Virofidum.

Linstock Crosby.

Olenacum.

Greystock, Genealogia antiqua, Barones de Greystock.

Ad Caudam præter æris fodinas ad Caudebeck, Highgate Richmondorum castrum, & nitidum Carliolensis Episcopi castrum, The Rose castle dictum, CONGAVATA etiam fuisse videtur, ubi Cohors Secunda Lergorum stipendium meruit. Congavata enim vallis ad Gavatum, quam in Caudam nunc contraxerunt, Britannis significat. Sed hujus locum digito designare nondum potui. Inter horum confluentes optima & longe amœnissima positione urbs vetustissima Carlile interponitur, à Septentrione * Ituna alveo, ab Ortu Peterillo, ab Occasu Cauda munita, & præter hæc defendentis naturæ munimenta, firmis mœnibus

Æris fodinæ.

Congavata.

Carlile, * Eden.